



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De fideli & prudenti seruo. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

§. 1. De instituto Marthæ, & cuiuslibet dispensatoris boni.

Quia nunc charissime officium suscepisti Marthæ, non debes bonum & sanctum ministerium acediosè peragere: sed fideliter propter Christum, qui omnia nobis administrat, & propter æternam salutem tuam, exercere. In quo de quibusdam necessarijs considerationibus admonendus es. Sic enim beatus Paulus dicit; *Hic autem quaritur inter dispensatores, ut fidelis quis inueniatur.*

§. 2. De fideli & prudenti seruo.

Vnde oportet eum esse fidelem, cui committitur ministerium tale: sed & prudentem nihilominus, ne videatur sapius errare. Fidelem intellige in commissis, ne res negligat, ne malè custodiat, & ne quicquam, quod utilitati aut communitati prodesse possit, per ipsum depraueatur, sed magis pia cura emendetur. Prudentem verò in ipsis rebus, pro tempore & personis distribuendis. Vno tempore conuenit dare, quod alio tempore licet negare. Quibusdam utile est & pium condescendere in petitionibus, quibusdam verò oportet te magis resistere. Quorundam etiam necessitates, charitatis officio preueniendæ sunt. Si ergo discretè agis, & necessitatem pensas in hominibus, prudentiam non abiicisti. Si compateris infirmis & miseris egenis, (quia te ipsum prius consideras, qualiter & alijs charitatem bene facias) charitatem induisti. Talem te cupio, videlicet fidelem in opere, & prudentem in consilio. An non talem seruum Dominus in Evangelio requirit? *Quis est, inquit, fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?* Pro te est, si fidelis fueris: quamuis te minùs prudentem æstimare debeas, sicut Paulus dicit; *Nolite esse prudentes apud uosmetipsos. Et iterum; Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Sic enim de seipsis sapientes, efficiuntur sapientiores.

Rom. 12.

§. 3. Recapitulatio de fideli seruo.

Quis est autem fidelis seruus, nisi qui non querit, quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi: ut quicquid agit, eius amore faciat, eius gloriam tantummodo desideret & expectet, atque ipsius magis quam suam voluntatem sequatur, & dicat; *Pater fiat voluntas tua, non mea.* E duobus tamen seruis, fidelis potius est quam prudens eligendus, atque instituendus ad negotia. Siquidem fideli seruo nihil charius in domo, & amico fideli, nulla ponderatio est, maxime in consilio. Sed quid aliquem tam fidelem & ynanimem facit

Lucæ 22.
Fidelis ser-
uus prudẽ-
ti præstat.